Schema dissertatiunculæ.

OBservantia octavi præcepti cuilibet Critico necessaria §. 1. Respuunt interpretationem sinistram Symbola & Libri Symbolici Lutheranorum, quantumlibet ab Arminianis sugillati §. 2. Resecantur ad præsentem controversiam nihil attinentia §. 3. Repudiatur τὸ Quatenus hypotheticum in subscriptione & obligatione juratoria ad Libros Symbolicos §. 4. Sequitur DEPVLSIO PARORAMATUM, quorum, PRIMVM ab iis, quibus τὸ Quatenus *arridet*, in eo ponitur, quod Augustana Confessio art. 6. citet Ambrosium suppositititium §. 5. 6. SECVNDVM in eo quod Apologia A. C. toties commendet merita bonorum operum §. 7. 8. TERTIVM in eo, quod Apologia laudet aut fictitium, aut transsubstantiationis Pontificiæ assertorem Vulgarium §. 9. 10. QVARTVM in eo, quod eadem Apologia tradat ac defendat Sacramentorum N. T. ternarium §. 11. 12. QVINTVM in eo, quod eadem ipsa præposterе applicet locum Ezechielitium, cap. XX, 25. §. 13. SEXTVM denique in eo, quod Articuli Schmalcaldici falso allegent locum Apocalypticum ex cap. XII. §. 14. Concluditur DESPVLSIO §. 15. 16.